



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Qui sufficiens ecclesiasticum habuerit beneficium, si de alio literas summi pontificis obtinuerit, prioris beneficii non facta mentione, dignum est, eum a iudicibus non exaudiri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
 CHRISTI
 1179.

vigiles existere, dignitati vestrae mandamus, quod si contigerit eundem episcopum ante solutionem debitorum, quae pro utilitate & necessitate ecclesiae sibi commissae contraxerit, ex hac luce migrare, de rebus qui spectant ad mensam eius, donec alius loco eius substituatur, eadem debita soluere studeatis. Quo substituto, episcopum ad eorumdem debitorum solutionem omnino adducetis, & sicut filius debita patris, ita praelatus sui praedecessoris pro necessitate ecclesiae contracta tenetur persolvere.

VNI PLVRA BENEFICIA PARS
XXX.

ECCLESIASTICA NON COMMITTENDA,
 nec vnum inter plures diuidendum: & de in beneficio
 sibi assignato non residentibus.

C A P. I.

Alexander III. Eboracensi archiepiscopo.

RELATIVM est auribus nostris, quod Nicolaus archidiaconus de Bedis, canonicus * Beuianensis ecclesiae, ita integre & plenarie canonicam iam dictae ecclesiae requirit praebendam, sicut & illi qui die noctuque satagunt eidem ecclesiae deseruire. Super hoc etiam literas nostras se habere proponit. Quia vero hoc indignum & absurdum est, nisi de consuetudine praescriptae ecclesiae, hoc possit inquirere: fraternitati tuae, &c. quatenus eundem archidiaconum diligenter commoneas, quod occasione literarum nostrarum communia ecclesiae praelibatae nulla ratione contra consuetudinem & institutionem ipsius ecclesiae requirere audeat, nisi eidem ecclesiae in propria persona assidue vel per medietatem vnus anni voluerit deseruire.

C A P. II. *Idem Londoniensi episcopo.*

Cum teneamur ex debito suscepti regiminis prouisioni clericorum intendere tibi & aliis ecclesiasticis praelatis, pro eis scripta nostra dirigimus, & interdum etiam super illorum prouisione, qui aliquod beneficium sufficiens habere noscuntur, dum etiam aliquando ignoramus eos habere aliquod beneficium, pro quibus tibi & aliis ecclesiarum praelatis scribimus, si preces & mandatum nostrum

Concil. Tom. 27.

Oooo ij

recepisti pro aliquo, vel aliquando recipies, qui aliud beneficium habet, de quo valet commode sustentari, nisi forte in literis ipsis de alio beneficio quod habet, mentio habeatur: aut si nunc non potes ei sine scandalo providere, æquanimiter sustinebimus, si pro eo preces & mandatum nostrum non duxeris exequendum.

CAP. III. *Idem.*

Deferente I. Nob. presbytero, latore præsentium, accepimus, quod cum duas ecclesias haberet, archidiaconus tuus ipsum altera illarum spoliavit, & eam cuidam presbytero N. nomine assignavit. Prædictus autem I. sentiens se in hac parte grauari, ad venerabilem fratrem nostrum *Treuerensem archiepiscopum appellavit. Cumque idem I. de mandato eiusdem archiepiscopi in præscriptam ecclesiam fuisset restitutus, memoratus G. ad audientiam nostram appellavit. Postea vero præditus archiepiscopus eundem Leo, quod ad præsentiam suam vocatus, ut alteram de prædictis ecclesiis prænominato G. concederet, venire contempsit, vinculo excommunicationis adstrinxit. Nos autem a sententia qua tenebatur, facientes eum absolui, eundem duximus tibi remittendum. Quo circa mandamus, quatenus partibus ante præsentiam tuam conuocatis, præscripto I. vna de præscriptis ecclesiis, quam voluerit, cum pertinentiis suis relicta, alteram præfato G. si ecclesiam non habet, non differas assignare. Si vero aliam habet ecclesiam, alteri personæ idoneæ, beneficio ecclesiastico carenti, incunctanter assignes.

CAP. IV. *Idem in Concilio Turonensi.*

Maioribus in ecclesia beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum clericorum præbendæ patiantur sectionem. Idcirco ut sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis ecclesia firmam habeat vnitatem, diuisionem præbendarum, ut dignitatum permutationem, fieri prohibemus.

CAP. V. *Idem Norwicensi episcopo.*

17. Quest. 3.
Diaconi.

AD audientiam nostram peruenit, quod H. presbyter monachos de Rameseia, & clericum suum T. petendo